



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 156. Quem vultis vobis dimittam? Barrabam? an Iesum qui dicitur  
Christus?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

ne sibi præda elaberetur. loquitur ergo eis Pilatus, tanquam congregatis nomine totius populi, qui tam alia de causa nempe adversus Iesum, erant congregati.

Vide hic anima mea, Pilatus adhuc stat pro iustitia Christi, & quem ex iustitia non audebat liberum declarare, ex medio aliunde sumpto propter Festum scilicet solemne Iudæorum Paschatis iuxta morem vult liberum esse, ita tamen ut prius assensum darent principes congregati. Hinc paulatim peccavit Pilatus & reus factus est mortis Christi, quia non simpliciter propter iustitiam liberabat Christum, quem sciebat innocentem, sed simul voluit Iudæis placere propter metum honoris sui perdendi, ideo incipiens quærere voluntatem principum demum eo pervenit, ut faceret voluntatem eorum uti mancipium, iudicans eum reum esse mortis ob ipsorum instantiam solam.

**O** Domine in omni consilio & actione innitar obsecro veritati soli, & puræ iustitiæ, ita ut potius eligam mortem, & perditionem honoris & bonorum, quam ut velim iustitiam cum hominum placito sive in publicis sive privatis negotiis copulare, quia hæc plerumque ita constituta sunt, ut copulari non possint, cum prava sint hominum corda, iustitia autem Domini recta.

§. 156. *Quem vultis vobis dimittam? Barrabam? an Iesum quem dicitur Christus?*

Ecce propositionem Pilati in congregati omne Principum Iudæorum, Ecce comparationem inter Iesum & Barrabam! quæ autem conventio inter Belial & Iesum? inter iustum & iniustum comparatio esse potest? Barabbas enim nomine est filius patris. Sed cuius? utique diaboli vel Antichristi, Iesus vero Salvator filius Dei est: Barabbas homicida est & latro & seditiosus, Iesus benefactor Iudæorum, conservator & pacificus. Ideo Barabbam quo nemo tunc in carcere erat lælestior Pilatus facit æqualem Christo, quo nemo melior, ut moneat Principes ad commiserationem, iustitiam & dimissionem Christi, quis enim mallet vivere latronem, magis quam morborum curatorem, imo mortuorum excitatorem? quis seditiosum, quam pacificum? &c. nemo sanæ mentis crediderim: sed obsecro videte ad quam mentis insaniam & furorem pervenerint principes Iudæorum? Ethnicus alienigena Romanus movetur misericordia & iustitia: Iudæus cognatus, popularis & vera religione institutus non movetur, sed magis accedit ad iniquitatem super iniquitate, eligendo potius filium Belial, nempe Barrabam latronem insignem, quam filium Dei benefactorem optimum. Reipublicæ ad vitam.

O Iesum



**O** Iesu spes mea & unicum solatium animæ meæ, vehementer te dimittere à se volunt quia oderunt lucē, Tu autem es lux vera &c. Pilatus iste errat quærendo quem vobis dimittam? non enim de te potest quæri quidem an sis dimittendus? cum omnino, quâ Deus, dimitti nequeas, & quæ homo dimitti non debeas, sed miser iste ex hominibus cæcis unus sic loquitur ut cæteri, omnes enim mortales te: Ego omnino te dimittere à me nolo, sed permanere te volo mecum inseparabiliter, ut mecum sis, mecum labores in vitam æternam, Amen.

§. 157. *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eam. v. 18.*

Addit Evangelista causam, cur ita laboraverit Pilatus pro Christo liberando ex manibus Iudæorum, & à morte, nempe: *Quia sciebat quod per invidiam cepissent captivum ignominiosissime, & tradidissent sibi ad executionem mortis, quæ autem invidia fuerit Ioannes manifestat, qui narrat eos dixisse, Ecce totus mundus post eum vadit, & si dimittimus eum sic, omnes credent in eum, alteram causam attigit Pilatus in sua propositione ad principes, ubi dixit: Quem vultis vobis dimittam? Barabbam? an Iesum, qui dicitur Christus. Christus enim unctus dicitur, per consequens Rex, Reges enim ungi solebant, & per consequens vocari Christi, & hunc titulum regium ei invidebant. Miseri mortales! quænam infantia & invidia vos vexat? cur vos cruciat? quod mutare non potestis? Iesus est & manebit, Christus est & manebit, Rex est & manebit nomen Iesus non ab homine vel creatura aliqua, sed à SS. Trinitate Christo est impositum, & ab Archangelo in terras delatum, & ab hominibus confirmatum, sed & uncti seu Christi nomen est proclamatum in terris per Daniele Prophetam vestrum cap. 9. dicentem: *Vngatur Sanctus Sanctorum. item scito ergo & adverte ab exitu sermonis, ut iterum adificetur Ierusalem usque ad Christum Ducem &c.* Sic nomen Regis non ab homine accepit, sed ab ipsa SS. Triade quod per varios Dei Prophetas mundo denuntiaturum est, teste Isa. 9. capite & aliis ubi inter alios Christi titulos eum Regem vocat, dicens: *multiplicabitur eius Imperium: & alius Propheeta annuntians Civitati Ierusalem venturum Regem, dicit: dicite filie Sion, Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus.* An non Regem hunc salutarunt Magi ab oriente venientes? Quid igitur frustra turbamini? pleni livore, & invidia principes? Dominus mundi est, temporale non quærit regnum qui præstat æternum.*

**N**on mirum est Domine, quod tibi invideant principes sæculi, honorem & gloriam tuam, princeps mundi diabolus invidit olim felicitati primorum parentum hinc per invidiam intravit mors in mundum, & modo per invidiam operatur ut Dominus vitæ pereat, malum pessimum, certè

N 2

est